SRVC

1626

Ex Libris
[illegible]
[illegible]
Ao 1702
[illegible] 8 [illegible]

PIASTUS,
E CIVE OPPIDANO
PRINCEPS.
POLONIÆ CREATUS,
EX HISTORIARUM MONUMENTIS

ACTU SCENICO
REPRÆSENTATUS.

ANNO CHRISTI
CIƆ. IƆC. XXVI.

PERSONÆ Comœdiæ.

PROLOGUS, URIEL, Angelus.

BARNIMUS, PRIBISLAUS, BOGDALUS — Poloniæ Magnates.

ZADAEL, Angelus.

PIASTUS, Civis Crusvicensis.

REPICHA, PIASTI uxor.

SEMOVITUS, filius.

SOBESLAUS, CRESPIMIRUS — Pompilii nepotes.

LESCUS. Ephorus.

DYSCOLUS, AMELIUS, CLOPAX — Magnatum pueri.

MENDICUS.

URIEL.

Prologus.

Olite mirari, spectatores optimi; Angelum à Vobis conspicum, initio hujus Comœdiæ. Dulce est Angelis, ab ipsoq; DEO mandatum, interesse hominum societati, & actionibus; avertere ab ipsis noxia; conferre salutaria. *Quod si vos crederetis; si apud animos perpenderetis vestros: ut fumo apes abiguntur, & fœtore; sic Angelos procul à vobis exigi; cùm sordibus peccatorum defœdamini: certè vitijs servire atq; voluptatibus tandem desineretis. Nunc cujus rei gratiâ venerim, edisseram; facto initio à Pompilio*

juni-

juniore, Poloniæ Duce; quem vos nôsse arbitror ex rerum gestarum monumentis. Is, circa annum Christi octingentesimum, impuber, Principatui inauguratus, postea cùm ex ephœbis excessisset, flagitiosissimi Tyranni portentum extitit: ad scelera nefaria inductus, partim malitiosissimâ indole magis etiam à scurris, combibonibus, collusoribus, scortis, lenonibus, adulatoribus corruptâ: partim verò Suadâ illectrice Germanæ Conjugis, facie quidem pulcræ, sed moribus fœdissimis. Hic aliquando morbum simulans, Patruos ad se accersit; se, prolemq; suam, quasi jam moribundus, tutelæ illorum fictis verbis commendat: poculum circumferri jubet, ultimum amoris signum.

Id verò toxico erat vitiatum; astu malâq; mente uxoris. Bibunt omnes Patrui, nihil suspicati; omnes magno cruciatu, de statu mentis dejecti, commoriuntur; veneno in penitissima viscera rapto. Ibi infamis mulier cadavera insepulta projicit: ex quibus putrefactis, enati mures, numero plurimi, inusitatæ magnitudinis. Hi (agnoscite Vindicem DEVM) impium parricidam cum efferatâ conjuge, cum impuris liberis, adoriuntur; quoquò versus, per aquã flammamq; persequuntur: nec vel abditissima claustra prosunt; vel præsidia satellitum abigentium. Ad extremum diffugientibus omnibus, devoratis priùs filijs, Lecho & Pompilio, deinde uxore, postremò ipse Princeps continuo

morsu

morſu depaſtus eſt in arce Cruſvi-ciâ. Ita experimentum de ſe facere neceſſe habuit: diras parentum atq; imprecationes ſæpè efficaces eſſe.

Quippe Pater hujus Pompili ſibi ſuiſq;, ominoſo carmine, ſubinde imprecatus fuerat: ut à muribus abſumerentur. A tam horribili Principis morte, interregnum apud Polonos exortum: cujus calamitas cùm univerſam regionem propè peſſundaret; à Proceribus Regni comitia ſunt inſtituta. Hæc vos ita geri coram oculis veſtris fingite; ut exiſtimetis: hanc urbem eſſe Cruſviciam: in quâ Proceres Poloniæ, de Principe eligendo conſultent. Videbitis, quàm verum ſit illud, quod ex divini vatis ore emanavit:

 DEVM

DEVM ex pulvere erigere pauperem: ut collocet eum cum Principibus.

Nam ad Principatum Piastus, homo humilis sortis, evehetur. Vestrum erit patienti silentio attendere; studium nostrum, favore vestro prosequi. Ego hinc abeo; Angelus quippe tutelaris sum Piasti: ad quem nunc abiturio; ad vos postea in hoc proscenium rediturus.

Vos interim attendite; quid hi duo Poloniæ Proceres; Barnimus, Pribislaus, & paulò pòst Bogdalus superventurus, de constituendo Principe sint disserturi. Ita autem attendite; ut Supremum Monarcham, Dominum dominantium in oculis vestris, in animis veneremini.

ACTUS

ACTUS I.

SCENA I.

BARNIMUS, PRIBISLAUS, BOGDALUS.

COmitia ſuperioris temporis quàm fuerunt infauſta juxtà & ominoſa! ſoluta, re infectâ; nullo Poloniæ Principe deſignato. PRIB. Ita fieri ſolet, more peſſimo: quotiescunque aut populus in diverſa ſtudia trahitur; aut Principem electuri ſuis lenocinantur cupiditatibus. BARN. Vtinam hac die, cœlo magis propitio, ad novi Principis conſtitutionem accedamus, in hoc oppido Cruſvicenſi! Sed quem conſpicor eminus incedentem, capite obſtipo, curas, opinor, cogitantem? BOGD. Defatigatus

ſum diurnis nocturnisque itineri-
bus: adeò nullâ habitâ ratione va-
letudinis meæ, per celeres diſpoſi-
tosq; equos, huc properrimè ſum
profectus. Patriæ cadaveroſa fa-
cies, & calamitas provinciæ, cujus
præfecturam gero, impulit me; ut
quàm citiſſimè advolarem; miſe-
rias exponerem; auxilia poſtula-
rem. BARN. Hic quidem, Pri-
bislaë, noſter eſt Bogdalus Boruſſo-
rum præſes: nimirum is longam
telam querelarum unà nobiſcum
texet. PRIB. Is ipſe eſt: audiamus,
quod nuntium nobis ſit allaturus.
BARN. Certè haud lætabile:
*frons, oculi, vultus, ſermo, geſtus
prodit hominem*. BOGD. Nam
Sclavi & Vandali, qui maritimas
Germaniæ urbes accolunt, & Obo-
triti, & Rugii vexant fines Poloni-
cæ ditionis; credo, propediem cor
caputq; Patriæ cariſſimæ petituri.
BAR.

BAR Idem faciunt Scythæ & Europæi & Asiatici. PRIB. Nec Bohemi satis fidam nobiscum amicitiam colunt. BOGD. Ac dum nos propulsare hostem externum à cervicibus nostris deberemus; Cives ordinesq; Poloniæ non modò Vatiniano inter se dissident odio; sed insuper in propria sua viscera sæviunt; collatis non rarò infestis inter se signis. BARN. *Commune malum atq; fatale est discordia.* BOGD. Totum hoc nobile regnum latrociniis patet: ut non tam regnum, quàm spoliarium dici queat, & omnis impunitatis cum sceleribus conjunctæ, unum quasi domicilium. PRIB. Hujus πανωλεθρίας causa non minima est interregnum. BARN. *Verè quidem interregnum est anarchia sine cujusquam dominatu; in eo discrimi-*

ne positum, quo navis fluctibus sine gubernatore jactata; ac momento, si tempestate abripiatur, peritura. PRIB. *Et ut maximè pericula effugiat; nihilominus ferocissimis atq; audacissimis quibusq; prædonib. impunè licet grassari in bonorum civium vitas fortunasq;.* BOGD. Nullum ergo vel aptius vel salubrius remedium adhiberi huic malo posse arbitror; quàm festinâ electione novi Principis: quæ quantum sol valebit, ad serenandas nubium tenebras, ac detergendas pluvias; tantum ad Reip. tempestates dispellendas adferet salutis. BARN. Eadem nobiscum sentit ac loquitur. BOGD. Hoc aut in Comitijs istis, quæ hîc Crusviciæ aguntur, fieri necessum est: aut Reip. navis decumanis fluctibus bellorum planè convelletur,

ever-

evertetur. PRIB. Adeamus hominem propiùs; ut capita cum eo conferre liceat. BAR. Fiat. BOGD. Quos huc accedentes video? Abibo: ne morâ hic in foro aut querimoniâ meâ consultationem in comitio plusculum impediam. BARN. Abiturit: revocemus. Heus Bogdale: tantillum nobis Tui copiam facias, quæso, BOGD. quis tû ès, moleste flagitator? non vacat. PRIB. At amici sumus. BOGD. Etiam *amici sint fures temporis.* BARN. *At res sæpe postulat, amicis aliquid tribuere temporis.* BOGD. Prospiciam accuratiùs, qui sint, qui alloquium nostri expetant. Ehem Barnime & Pribislaë, gratulor mihi de valetudine, quam auguror, vobisq; precor, commodam atq; durabilem. BARN. Salvum te, Bogdale,

dale, adveniſſe gaudeo. PRIB. Et ego tibi viciſſim, Bogdale, facta velim omnia, quæ vel commodis tuis ſerviant, vel dignitatibus: inprimis ut ſalutari conſilio inſtructus, conventui nobilitatis Polonicæ, non minori emolumento, quàm felicitate interſis. BOGD. Vtinam hæc comitia Cruſvicenſia ſecunda, ſint verè ſecunda! ſed vix animum induco, ſic futura. BAR. Mitte querelas: quæ enim in hac area prolocutus es, ea audivimus. BOGD. omnia? BARN. A principio omnia BOGD. Itaq; non opus eſt repetitione. PRIB. Minimè. tædioſa res eſt repetitio. BOGD. Cedò itaq; Barnime, tuq; item Pribislaë: adfulgétne facula aliqua bonæ ſpei: ut potiri novo Principe liceat. BARN. Qui intus ſunt in Comitio, proceres, numero haud contemnendo, animis

ampliùs non ſunt adeò diſtractis. BOGD. Gaudeo meherculè. BARN. Nimirum oculis vident, quod manibus palpant: *interneci- nis hiſce odijs Remp. à miſerabili ruina perparum abeſſe*. BOGD. Ita cladibus noſtris edocti, Barnime, ſapere diſcimus. PRIB. Duo canes, ut eſt in fabulis, inter ſe acerrimo dentium conflictu pugnantes, cùm lupum viderent adventare, ponebant inteſtinas iras; junctisq; operis & auxilijs lupum rapacem, ab ſe procul amoliebantur. BOGD. *Erit* itaq; *principium ſanitatis, velle ſanari*. Sed cur vos è Comitijs exijſtis? PRIB. Deliberandi gratiâ in loco iſto ſolitario: quoniam de Principe omninò eligendo nominandoq; hodierna dicta eſt dies. BOGD. Bonis avibus. Quò verò inclinant procerum

rum ſententiæ? BARN. Adhuc non nihil variant. Sunt enim, qui hominem aliquem externum, non indigenam, ad clavum Reip. adſciſcendum arbitrantur. BOGD. Qui ſic? BARN. Quoniam opinantur, *multis magnatum ambientibus ſceptrum, æquâ poteſtate ac gratiâ præditis; peregrino deſignato Principe, cujus etiam autoritas, quàm domeſtici ſit major, contentiones probè ſopiri, controverſiasq; noxioſas dirimi poſſe*. BOGD: Non placet *peregrinus*; qui licet benè rem gerat (de quo adhuc ſub judice lis eſt) tamen *quia moribus atq; ingenio à nobis differt, non poteſt indigenæ ſimilem benevolentiam populo repræſentare*. PRIB. Idem mihi videtur Bogdale; itaq; ſuaderem ex

filijs

filijs Patruorum Pompilij, recens à muribus unà cum uxore, liberisq; devorati, aliquem eligendum esse. BOGD. Erras: *in principatu, qui jure electionis gaudet, non est tutum; ad successionem plures unà serie, ex unâ eâdemq; familiâ admittere. Facilè Principes hoc modo succedentes, quod primo erat in regno liberrimæ voluntatis, id sibi postea obnoxiæ necessitatis reddunt.* BARN. Dicam verò ego: nepotes Pompilij indignos esse principatu; quoniam nati sunt, non ex toro legitimo, sed pellicibus. BOGD. Quapropter *fœditate spuriorum non est contaminanda Principatus Majestas.* PRIB. At *spurij plerumq; sunt ingeniosi fortes, felices?* BARN. Hoc tuum effatum non est oraculum

lum Apollinis. *Præterquam* e-
nim *quod nothi ſint maximam*
partem turbulenti, faces libidi-
num, vilis admodum ingenij:
Heroicos quoq; eorum impetus,
deprimit conſcientia ſubditivi &
adulterini generis. BOGD.
Sed ne hoc quidem nomine Pompilij nepotes ad ſucceſſionem provocandi: quòd ſtirps univerſa illius, ob diram crudelitatem, obſcœnasque voluptates, cunctis fuit hactenus inviſa atque execrabilis.
Præſtaret itaque ex improba
progenie ne catulum quidem re-
linqui; nedum ulli imperium
committere. PRIB. Quando ergo vobis placet; ê medio fratrum noſtrorum aliquem inſigniri Principatu: agite; ne hîc ſubſiſtamus diutiùs: eamus in comitium;

ut

it quid conspirantibus votis atque suffragijs velint reliqui magnates, dispicere possimus. *Plus enim plures, quàm pauciores vident oculi.* BOGD. Ite vos præ : paulò pòst sequar, ubi vires, itineris longinquitate attritas, intinctu panis in hydromelite, tantisper refocillem. PRIB. At tale jentaculum Bogdale, vix tibi quisquam parabit : adeò hic fames inexpugnabilis nos adfligit ; annonæ verò magna est charitas, ne dicam raritas. BOGD. Divertam in tabernam Piasti, veteris hospitis : nunquam is annonâ destituitur : non multò pòst inter subsellia præstò sum futurus.

ACTUS

ACTUS I.
SCENA II.
URIEL, ZADAEL *Angeli.*

QUanta eſt Zadaël, quamq; tenebricoſa cœcitas in his Sarmaticis locis: in quibus nullus de Chriſto ſenſus. ZAD. At ego, breviſſimo tempore pervagatus totam Aſiam atque Africam, comperi: etiam illa loca, quæ luce Evangelij colluſtrârant Apoſtoli, & eorum ſuccedanei, idololatriâ rurſus obrui, & denſis ſuperſtitionum tenebris, dixerim planè ſtultis. UR. Verè ais, *ſuperſtitionem eque ac idololatriam eſſe ſtultam: certè ridicula ſunt commenta vaniſſimorum hominum.* Quid enim inanius & tetrius cogitari

tari poteſt eo: quòd augures hodie, atque aruſpices vidi; velato capite, duplici amictos lænâ, ſive togâ ex purpura & cocco, in tesquis ſuis conſidentes: quorum alij cœlum, cujus regiones lituo ſine nodo deſcribebant: alij, quos dicunt Oſcines, cantus avium obſervabant, volatus, ſeſſus, ſtationes: alij quadrupedum poſitus, occurſusque, luporum, vulpium, caprarum, aſinorum, leonum, caprarum, aſinorum, arietum, leporum, muſtelarum, murium, emiſſitijs oculis ſpeculabantur: omnia eò; ut præſagium aliquod caperent, de comitiorum Cruſvicenſium ſucceſſu. ZAD. Ego verò infinitis quoque locis vidi; quomodo extiſpices, in diſſectis jam victimis, ex habitu coloreque extorum & fibrarum, epatis, cordis, veſiculæ fellis, lienis, membranæ viſcera ambientis;

ex

ex defectu item quarundam particularum in præcipuis membris, aut præter naturam adnatis, sumebant conjecturas de eventuum conditione; & in quam partem numen, cui sacrificium adornabatur, propenderet. UR. Vide mi frater: *quantum valeat Diabolus in filijs incredulitatis & perditionis: qui cùm* DEUM *nôssent*, ut Spiritus Sanctus loquitur; *tamen, quia* DEUM *non glorificârunt; neq; gratias ei egerunt; ideoq; vani facti sunt, in ratiocinationibus suis: & obtenebratum est cor eorum, intelligentiâ carens.* ZAD. Rectè judicas. Propterea *quòd amorem veritatis non receperunt, ut salvi fierent*; ait item Spiritus S. *ideo misit eis* DEUS *efficaciam erro-*

erroris, ut mendacio crederent: & damnarentur omnes, qui non crediderint veritati; sed acquieverint in injustitiâ. U R. *Desistat ergò, ab injustitiâ, quisquis nomen Domini invocat.* Z A D. Mirum tamen: Deum etiam Ethnicorum consilia moderari. U R. Quid ni? hæc ipsius est providentia. Z A D. Scio: *inter homines, cujuscunq loci, religionis, ordinis, nemo concipitur, nascitur, vivit, conservatur, movetur, stat, cadit, agit, patitur, mortem obit, nisi ex nutu & voluntate* DEI. U R. Vera dicis. *DEUS operatur omnia in omnibus & singulis.* Z A D. Ergo etiam Ethnicis destinata sunt præsidia nostra. U R. Hoc est divinæ bonitatis opus. Z A D. Ego sanè

ſanè patrocinium adhuc gero vicinæ Moſcoviæ. U R. Ego hujus Poloniæ; ſingillatim verò in hoc oppido domus Piaſteæ. Z A D. Hunc Piaſtum dicis, à quo convivio excipiebamur ante aliquot annos. U R. Illum ipſum dico. Utinam Deus immortalis hanc gentem luce veræ religionis colluſtraret! Z A D. *Habet prepotens Deus ſtatas ſuas horas, quibus alias atque alias gentes ad ovile ſuum invitat & adducit.* U R. Hunc ergo venerabimur: hujus imperveſtigabili voluntati, nos pari humilitate, pari lubentiâ ſubijciemus. Sed eccum egredientem Piaſtum, cum Uxore & filio, & quodam ex magnatibus Polonorum. Z A D. Non exhibebimus nos ei viſibili ſtatim formâ uſurpandos. U R. Quin

ergo

ergo in ædium interiora abimus; ut illic rem familiarem, absentibus illis, tucamur. ZAD. Placet. UR. *Nulla est inter Angelos discordia.*

ACTUS I.

SCENA III.

BOGDALUS, PIASTUS, REPICHA, ZEMOVITUS.

GRatias tibi ingentes habeo, Piaste, pro tàm lauto jentaculo. PIAST. Ehò lauto? qui præter carnem porcinam, & recentem panem nihil comedisti: nec bibisti, nisi unum alterumque haustum hydromelitis. BOGD. At *fames optimus coquus; sitis opiparum condi-*

 mentum

mentum. *Hæc ambo faciunt, ut*

Jejunus ſtomachus rarò vulgaria temnat.

PIAST. Quid lora burſæ Tuæ ſtringis? BOGD. nempe ut Xenij ergò nummos tibi porrigam. PIAST. Iſtud ne feceris: annona domi meæ non eſt vendibilis; *gratis accepi; gratis viciſſim elargior.* BOGD. Quomodo gratis? in tanta præſertim rerum omnium egeſtate. PIAST. Cœleſti benedictione fit, ut nunquam egeam. BOGD. Hoc artificium me quoque velim doceas. PIAST. Non poſſum. BOGD. Qu ſic? PIAST. De hoc argumen to colloquemur; ubi ex curiâ re verſus fueris. BOGD. Eo. T vale; vale Repicha; vale m pue

puer. Et quando pecuniâ non vultis remunerari; certè ingratus erga vos non moriar. PIAST. Benè vale; benè ambula; benè consule patriæ.

ACTUS I.

SCENA IV.

PIASTUS, REPICHA, ZEMOVITUS.

VIde, mea uxor, *quantò plus beneficij conferimus in advenas & hospites: tantò minùs egemus.* REPICHA. *Quin ergo pergimus: nec benefaciendo defatigemur unquam.* PIAST. Benè mones, licet contra indolem *fœminarum: quæ plerunq. sunt tenaces, atq. ad rem*

 plus-

plusculum attente. REPICHA. Audivi quondam dicere, Sareptæ in Sidonijs, orientali regione, viduam fuisse: in cujus amphorâ farina nunquam, nunquam in lecytho oleum defecerit; beneficio cujusdam vatis; nisi fallor, Eliæ nomine. ZEMOV. Quod factum memoras matercula? quid istuc est rei, mi Pater. PIAST. Dicam mi fili. Nam secreta principum celanda quidem sunt: opera verò DEI Opt: Max: omnium litteris, linguisque celebrentur. ZEMOV. Nondum intelligo, quid loquaris. PIAS. At faciam, ut jamnunc intelligas. Quo tempore Tibi prima coma, ritu gentili, tondebatur; ac nomen Semoviti, quod totâ vitâ geres, imponebatur: ad eam ceremoniam, festivitatemque invitabam amicos.

cos. ZEMOV. Quid tum postea? PIAST. Mactabam convivis porcum; promebam vasculum, aquâ mulsâ infusum. ZEMOV. Qui erant convivæ? PIAST. Non cives tantùm, sed ipse etiam Princeps, qui tum vivebat Pompilius, cum universo comitatu aulico. ZEMOV. Hui! tantáne multitudo satiari potuit uno porco, & tantulo aquæ mulsæ. PIAST. Quid satiari? prodigiosa res est: convivantibus hilariter hospitibus, caro porcina tanto accrevit opere; ut eam vix decem lintres caperent. ZEMOV. Rem sanè insolentem! PIAST. Hydromelitis autem liquor eò usque exuberabat: ut quantò plura à vicinis commodabamus vasa, implebamus; tantò copiosiori flumine aqua mulsa promanaret. ZEMOV. Quid audio mi

Pater? Sed dic, amabo; quânam arte conſecutus es hanc carnis atque hydromelitis copiam? PIAST. Auſculta diligenter: dicam. ZEMOV. Ædes mearum aurium ſermoni tuo jam diu patent, patebuntque ſemper. PIAST. Adventabant duo hoſpites, ſpecie venerandâ & amabili; quales cœlitum eſſe ajunt. ZEMOV. Quid volebant? PIAST. Arcem Principis petebant. ZEMOV. cujus Principis? at nullum habemus. PIAST. dudum defuncti Pompilij. REPICHA. Vide, mi Piaſte, quàm curioſus ſit iſte puer! PIAST. Sine ita ſit: curioſitas liberalis ingenij ſtimulus eſt, ad ſcientiam comparandam. ZEMOV. Quid agebant porrò hoſpites illi? PIAST. Arcem Principis erant ingreſſuri: ſed repellebantur a

oſtio

oſtio, planeque ab introitu. Z E-
MOV. O inhumanitas! PIAST.
Ita in plerisq; aulis agitur: ravò intromittuntur, qui cum cœlo familiaritatem habent: aut, si Princeps est mitis, maligni sunt satellites. ZEMOV. Cur tu, mi Pater, eos hoſpitio non excipiebas? PIAST. Factum puta: & illis domum noſtram divertentibus, inde augmentum illud carnis & mulſæ nobis contigit. ZEMOV. DEUM immortalem! At qui fuerunt hi viri? PIAST. Alij eos ajebant fuiſſe bonos genios; alij Angelos nominabant; alij alios ex Divorum naturâ aut conſortio. ZEMOV. Da veniam toties interpellanti, pater: æquum fuiſſet, Te ſciſcitari, qui eſſent, unde orti, quâ gente, domoq; ; quam artem facerent. PIAST. *In rebus divinis*

non oportet esse nimis curiosum:.
Ajebant hospites illi: sufficere mihi, nosse: apud DEUM creato-rem cœli & terræ in delitijs me ha-beri: domum verò meam, poste-ros, & rem universam meam, DEO Sospitatori curæ cordiqué esse. REPICH. Hoc tibi quoque sufficiat in hoc opere miraculoso, amantissime fili. Quocirca tu fa-cti hujus memor esto: illud po-steris aliquando recita: sed & *cœleste numen venerare: illud cole unum & unicum: non la-bijs tantùm, aut externo sacrifi-cio, sed purâ mente, puras ma-nus semper ad cœlum tollito* SEMOV. Ita faciam, DEO au-xiliante. REPICH. Recte loqueris. PIAST. In cæteris *disce, puer, virtutem ex me, ve-rumq; laborem.* SEMOV

Moren

Morem tibi geram. REPICH. Eja; approbè. ZEMOV. Recordor illius dicti, quod mihi inculcâsti: *Obœdientia est mater felicitatis*. PIAST. Eamus domum: ut, si quis vel potu nostro indigeat, vel cibo; præstò simus. REP. Sequimur.

ACTUS II.

SCEN. I.

SOBESLAUS ET CRESPIMIRUS, Pompilij Patrueles.

ILli inter se, ancipiti verborum conflictu, digladiantur de novo successore. CRESP. Mihi item præ dolore animi secedendum fuit. SOB. Plurimorum suffragia eò collimant: ut nos à Princi-

patu excludamur. CRESP. Ego ſpe ampliſſimâ hoc regnum jamdiu devoraveram. SOB. *Vides, quàm vana ſint ſpes hominum!* CRESP. Feremúsne, Frater, nos adeò, Ducum ſanguine genitos, contemptim haberi atque rejici? SOB. Ego quidvis malim, quàm his collutulari ſordibus. CRESP. Ego excurram; collecturus militem, ex quacunque hominum fece, vel ipſiſſimis purgamentis Reipublicæ. SOB. Quid acturus? CRESP. Diſturbabo Comitia. SOB. Ego interim pecunijs corrumpam Primores aliquot, donis, promiſſis. *Inſuperabile eſt pecuniæ regnum.* Sed videóne ego Leſcum, olim Ductorem, Doctoremqué noſtrum. CRESP. Haud erras. Mirum ni nobiſcum expoſtulet. *Moroſi* quippe *ex ſe ſunt ſenes.*

 ACTUS

ACTUS II.
SCENA II.
LESCUS, SOBESLAUS, CRESPIMIRUS.

COmmodùm accidit; ut eos habeam obvios, quorum studia olim moresque gubernavi. Fallórne visu? non fallor: ipsi sunt, Sobeslaus & Crispimirus, Pompilij Principis nepotes; juvenes ferocis ambo ingenij. Adibo. Heus, quò tenditis? SOBES. Hic homo nos morabitur. CRESP. Reverentia, quam ipsi debemus, non sinit nos secedere ab eo insalutatos. LESC. Salvete, nobile par fratrum. SOB. Salve tu quoque. CRESP. Quid tu hîc obambulas? LESC. Lubet. CRESP. Et mihi. LESC.

Quid tu verò, Crespimire, frontem adeò caperas? CRESP. Parum abest; quin me infra omnes mortuos abijciam. LESC. Quid est? CRESP. Quasi nescias, in comitio nos excludi á successione. LESC. Id Te contemptu oportet vindicare, CRESP. Vindicabo: sed armis. LESC. *Facile est, seditione commovere Rempublicam: sed vicissim tranquillare, altioris numinis.* SOB. Atqui Principatus nobis debetur. LESC. Quo jure? SOB. Successionis. LESC. Falleris. SOB At majores nostri hâc functi sunt provinciâ, quorum nos hæredes sumus. LESC. Paucissimi. Quippe si historias didicisses accuratiùs; quod te immorigerum sæpe monebam: non jam in luce meridianâ cæcutires. SOB. Dic quomodo? sed breviter:

viter: atque erroris me convince. LESC. Hæc ſexta eſt familia Ducum Poloniæ: non prima: ſed & pauciſſimorum hominum in veſtra gente. SOBESL. Quomodo? LESC. Prima Lechi fuit familia; cujus ſtirps univerſa poſt annos C L. intercidit. Secunda fuit duodecim Palatinorum; qui cùm exæquatam poteſtatem ambitione, avaritiâ, contentionibus per fas nefasqué corrumperent; ad Principatum unius reditum fuit; tertiaqué familia ad Cracum pervenit; & hujus filijs decedentibus, quarta mutatio contigit, revocatis denuò duodecim Palatinis: quinta in Præmislo: donec poſtremam ſextamqué familiam inferret Leſcus, avus veſter Paternus. Ita ſe res habet. Videte itaque quantula ſit illa temporis præſcriptio quam

vos ad Principatum obtinendum allegare possitis! SOBESL. Quid tibi videtur, mi frater. CRESP. Faciamus, quod deliberavimus: & faciamus omnia summa; ne spe Poloniæ regnum obtinendi turpiter excidamus. LESC. Novi vos fratres; sine dubio consilia tractatis incepta læta, tractatu dura, exitu tristia atque pœnitenda. CRESP. Quid Tu, morose vetule? de tuis rebus cogita: quin potiùs collige sarcinas Tuas; & ex hâc vitâ abi ad plures. LESC. *Ita comparatum est cum juventute, nostrâ; quæ nihil ægrius ferre potest; quàm salubria adferentes, liberâ voce, monita.* CRESP. Satis diu concoximus dicteria Tua, sale acri condita; cùm adhuc sub ferulâ essemus Tuâ. Nunc stat sententia: nostro

nostro remigio rem gerere ; Te tanti facere ; quanti ancillam, quæ domi lavat latrinam. Alios Tibi quæras oportet, in quos imperiosa Tua dicta ingeras. Eamus, Sobeslae, & quæ in rem præsentem faciant, nihil cunctati apparemus. SOBESL. Placet : Tu Tuam concita machinam : ego meam quoque personam strenuè tuebor.

ACTUS II.

SCENA III.

LESCUS, PIASTUS.

VIde sis, quam gratiam rependant liberi Magnatum suis Educatoribus atque Ephoris! Totum vitæ meæ tempus tribui his fratribus, literarum morumque culturâ

culturâ formandis; quorum viginti tum erant. Nunc quo me honestamento gratiæ mactare velint, palàm faciunt. Illud verò omne proficiscitur, partim ab eo; quod *ex carceribus Scholæ emissi, infrenatæ licentiæ dulcedine inebriantur*: partim quia *Principum jam pubescentem prolem adoriri solent adulatores; qui omnem virtutis sementem, quam sub magistris fecerant, pestilentibus suis assentationibus venenant & corrumpunt.* Etsi autem hi Fratres in Poloniæ ducatu rerum non potiantur; tamen justam conquerendi causam non habent: quia à Patre Lesco, tertio hujus nominis, optimè illis prospectum: constitutis Semiano & Jaxa Sorabiæ Regulis; Uladislao & Casimiro,

ro, Caſſubiæ Principibus; Bogdalo, Barnimo, Boleslao, Pomeraniæ; Uratislao, Rugiæ; Pribislao & Cieſſimiro, Luſatiæ; Premislo, Ziemovito, & Ziemomislo, Brandeburgicæ Marchiæ; cæteris alibi rerum ſummæ præfectis. Ibo ego, & has curas coquam ſtomacho Stoico: ſalutabo Piaſtum, in quo vis quædam divina ineſt. Sed eccum in ſublime tendentem manus! Interpellabo. Qui ſunt, Piaſte, hi geſtus? quæ projectio manuum? quæ oculorum in cœlum ſublatio? Quæ congeniculatio? Quin ſurgis, & ad me converteris. PIAST. Ehem, Leſce! non Te videram priùs: eram quippe abreptus devoto animo ad cœleſte Numen. LESC. Quid boni tibi contigit? PIAST. Quod ante aliquot annos; cùm filio meo uni & unico

unico primitus raderetur coma. LESC. Recordor, PIAST. Iidem hoſpites è familiâ cœlitum ad me redierunt. LESC. Et recens ediderunt miraculum? PIAST. Ediderunt. LESC. Dic obſecro. PIAST. Juſſerunt ex tenui penu res cibarias, ex cellâ vaſculum hydromelitis exponere; quæ vix familiæ meæ ſufficiebant. LESC. Quid inde? PIAST. Ea inter manus magis magisqué augentur: ut quantò plus demas de cibo potuqué; tantò major identidem copia utriuſque ſuccreſcat. LESC. Patere quæſo, ut ſpectandi gratiâ ingrediar. *Decet homines probos DEI opera, miracula præſertim, attentè religioſeq́ contemplari; inq́ ijs DEUM ſupplices venerari.* PIAST. Pol ſapis.

ſapis. Præcede : & me intus expecta.

ACTUS II.

SCENA IV.

PIASTUS, DYSCOLUS, AMELIUS, CLOPAX.

NAm quibus verbis laudum tuarum faſtigia conſequar, ô æterne DEUS! Quâ mente, quo adfectu, quo viſcerum motu Tibi gratias agam? quam tibi victimam eam oblatum? Qui tot beneficijs me proſequeris; tot donis adficis; tàm miraculosâ providentiâ: ut exiſtimem, nemini hominum in univerſo hoc regno tot tantaqué bona contigiſſe. DYSC. Per Bacchum Tibi juro: inteſtina mea

mea murmurare inanitate. AMEL. Et ego tibi per Cererem juro: bovem me hoc prandio absumpturum, si apponeretur: quod Milonem quendam fecisse ajunt. CLOPAX. Quid me facturum putatis? qui toto jam quatriduo ferias esuriales celebro. DYSC. I, vescere gramine. CLOP. Quid? Tu me vaccam esse censes? DYSC. Sæpe minùs uteris rectâ ratione, quàm vacca solet. AMEL. Sine eum vesci sterquilinio. CLOP. Apage te: in his epulis tu delitiare. Numquid ego tam lutulentus sim porcus? AMEL. O Clopax! longè fœdior quovis porco: *Voluptates, & inde emergentia non una vitia, in feroces atque sordidas nos transformant belluas.* CLOP. Egregium Philosophum! dignum, qui cum Diogene ossa sub mensâ ro-

sâ rodat; aut cimices, pulices, pediculos deglutiat. AMEL. Sinite has nugas. Vultisne vos ludiones agere, in hâc tantâ fame. Quin imus ad Piastum, & annonam, si quæ in promptu, emimus. DYSC. Mihi quoque Herus mandavit; ut à Piasto, quà prece, quà pretio consequar. CLOP. Ego vobiscum periculum faciam; an pro meo quoque Hero vel panem duntaxat, & parum hydromelitis impetrare queam. AMEL. Quem quærimus obviam habemus. PIAST. Quid vos hic otiosi pueri? DYSC. Utinam dentes nostri haberent, quod molendo operarentur! PIAST. Credo, vos de re alimentariâ esse sollicitos. CLOP. Succurre, quæsumus, copiâ Tuâ, si potes, nostræ inopiæ. PIAST. In bonis beneficium non perit: in malis, quod benefit, malefa-

Etiam

ctum arbitror. AMEL. Decet Te benè ſperare de noſtra indole. PIAST. Id me jubet charitas. Sequimini: penum meam cellamqué vobis promam: faxo habeatis, quod voletis. CLOP. Dij ſervent hunc bonum virum; qui nos ſuâ hoſpitalitate ex fati faucibus liberabit.

ACTUS III.

SCENA I.

PIASTUS, URIEL, ZADAEL,

QUid? tu vaticinaris, me futurum eſſe Poloniæ Principem? UR. Stat divina ſententia PIAST. Méne, ex inferioribus ſubſellijs producendum? ZAD *Facil*

Facilè est DEO, *infera supera facere*. PIAST. Non sapio. UR. *Principem dat* DEUS, *qui erga genus humanum vice suâ fungatur*. PIAST. Atqui ego imperare non didici. ZAD. *Quos* DEUS *muneri præficit; eos necessarijs quoque instruit donis*. PIAST. Sæpè audivi dicere: *nullum animal esse morosius homine: nihil esse difficilius, quàm regere hominum societatem*. UR. Ego verò tibi prænuntio: divinâ providentiâ, in regno tuo usurum Te prospero subinde fortunæ flatu. ZAD. Ac ego prædico: ex posteritate Tuâ Reges, & Principes in Poloniâ ac Silesiâ multis seculis dominaturos esse.

PIAST:

PIAST. Quò me vertam, neſcio. UR. Quò? Ad DEUM, & te-ipſum: DEUM venerare ſupplex, quod feciſti hactenus: te verò DEO ſubmitte, & omnes tuas cogitationes. PIAST. Hoc faciam. ZAD. Vale: nos diſcedimus. PIAST. Illi diſparuerunt. Ego hîc ſolus ſum. Ibo intrò; ut in hanc rem (bone DEUS admirabilem) ulteriùs cogitem.

ACTUS III.

SCENA II.

DYSCOLUS, AMELIUS, CLOPAX, MENDICUS.

" EVax! Huic Piaſto benè ſit: qui
" cùm habeat, quod det, non
" ſibi ſervat, ut pici aurum: ſed
" fontes ſuos ſinit foras emanare.

MEND.

MEND. Date obulum pauperculo. DYSC. Facesse hinc. MEND. Ah mei venustuli, delicatuli; Domini mei clementissimi; date aliquid saltem de annonâ vestrâ. DYSC. Pessimum est hoc mendicorum genus. MEND. Misereat vos hujus ulcerosi cruris. CLOP. Papæ! quàm malè mecum est actum! AMEL. Quid dicis Bacche? consiste: tene te. CLOP. Oculis nubes obversantur & tenebræ; caput in gyrum rotatur; os plenum est salivâ; subinde spuere necesse habeo; præcordia dolent; cor palpitat; ventriculus crepat ructus AMEL. Dixíne antea, te porcum esse? proximus est vomitus, quo hoc pavimentum impleas, ebrie. CLOP. At tu valdè sobrius. DYSC. Invitavit se iste nebulo pluscùlum mulsâ.

AMEL. Ad utramque aurem ſe ingurgitavit. CLOP. Quid agam neſcio: animo linquor: vires omnes fugiunt: moriendum eſt. DYSC. Sanè; ſed opinor, alio tempore: cùm ex te carnifex literam longam faciet. CLOP. Nec pes, nec manus, nec lingua ſatis ſuum officium faciunt. AMEL. Edormi crapulam. CLOP. Hîc procumbam. DYSC. Quid de pecuniâ ſtatuendum, quam nobis Piaſtus reddidit; gratis dato hydromelite? AMEL. Rogas? non reſtituenda eſt Heris. DYSC. Ergo colaphis excipiemur domi, pugnis & lumbifragijs. AMEL. Malæ meæ & dorſum jamdiu his lautitijs adſueverunt. Mitte inanem timorem. Nullum Tibi in promptu eſt mendacium, quo Herum Tuum naſo ſuſpendas. DYSC. Videbimus

bimus

bimus. AMEL. Sciebam. Hem itaque chartas lusorias. DYSC. Approbè; sed mei quoque oculi geminant visa. AMEL. Tantò plus ergo videbis. Hîc nos interim amphoras nostras deponemus. DYSC. Et ego meam fiscellam. AMEL. Tu, mendice, curam gere nostrarum rerum: ne Harpyiæ involent: stipem dabimus egregiam; ubi ludendi finem fecerimus. Sedeamus humi. MEND. Ego fidem meam, adeoque me totum vobis dedico, Illustrissimi Domini. Hîc mihi aperietur campus: in quo virtus mea se exerceat. DYSCOL. Cedò fasciculum chartarum. At hæc folia crebro usu partim sunt attrita, partim in exteriore facie maculata. AMEL. Nimis religiosus es. DYSCOL. Nec monades insunt. AMEL. Mo-

nadum vices ſupplent dyades. AMEL. Quo luſus genere utemur? DYSCOL. Triumpho Perſico. AMEL. Non teneo. DYSCOL. ſcilicet! qui in hâc arte es Roſcius. AMEL. Hercle neſcio, quid ſit. DYSCOL. docebo AMEL. Meo cum damno. DYSC. Quæ nocent, docent. AMEL. Nullo pretio ludemus. DYSC. Non placet. AMEL. Qui ſic? DYSCOL Hilariùs luditur, ad conſpectum pecuniæ. AMEL. Quota ergo erit ſponſio? DYSC. quaterni nummi in ſingulas manus. AMEL. Expono. Tu adde Tuam ſymbolam; & diſtribue chartas. DYSC. Cape. AMEL Quot exhibes folia? DYSCOL Duodena. MENDIC. Enim verò jam tempus eſt, exercend artem meam, quam à puero uſqu didi

didici. Abripiam prius hanc fiscellam. Tu qui hîc dormis, fili, nihil vides: illi ~~præ cupiditate ludendi excutiunt~~. AMEL. Etiámne vertitur charta, index? DYSCOL. Quasi tu nescias. AMEL. Hem! quid tu fasciculum contrectas? cavillator es & falsarius: componis arte folia; ut tibi expediat. DYSCOL. Mentiris nequam. AMEL. at tu vapula. DYSCOL. Cape hoc ~~dentifrangibulum~~. AMEL. Quando ita vis; experiamur inter nos; uter pugnis plus valeat. MENDIC. Prehendam utramque amphoram. O venter, venter! para te ad læticiam. Valete luctatores. DYSC. Do manus. Redeamus in gratiam. AMEL. Non faciam, nisi datâ fide. DYSCOL. Dimitte. AMEL. Jura, te non nociturum

 am-

ampliùs. DYSCOL. Juro. Recipe. AMEL. Hæccine tua fides? *Perfidia in autorem recidit.* Ego victimam ex te faciam, perjure: Saturno te sacrificabo CLOP. Pacem, pacem impero, pacem. AMEL. Hunc falsarium vide. CLOP. Sinite. DYSC. ego aliquando vindicias sumam. AMEL. Ut lubet. Nunquam mihi erunt manus butyraceæ. *Quemq; suæ furiæ ulciscuntur.* AMEL. Capiam amphoram meam. CLOP. Ego item meam. DYSCOL. Ego nec vestras amphoras conspicio, nec meam fiscellam. AMEL. Absit omen. DYSCOL. Vide sis mendicum versutissimum. AMEL. Atat, certè is clepsit. DYSC. O superi, ô inferi, ego hîc pugnis cæsus sum. V

dom

domi capiti, væ lumbis, væ nati-
bus meis! CLOP. Herus me-
us flagello me ad necem dabit.
AMEL. Me verò fuſtibus de-
lumbabit, uſque ad extremum ſpi-
ritum. DYSCOL. Ut te,
mendice, Stygius Pluto malè per-
dat. AMEL. Quid tempus
terimus? *Ociosâ querimoniâ*
nemo rem facit: manibus opus
eſt, & ingenio. Redeamus ad
Piaſtum. Is jacturam noſtram re-
parabit.

ACTUS III.

SCENA III.

LESCUS, SOBIES-
LAUS, CRESPI-
MIRUS.

 Agno-

Agnoſcite jam: DEI providentiâ mundum adminiſtrari: DEUM conſulere rebus humanis, non univerſis tantùm, verùm etiam ſingulis. SOBIESL. Egregiam verò laudem! pudendam, inquam, maculam, quæ genti Polonicæ inuritur, nullis Oceani aquis eluendam! CRESPIM. Cur ita ſtomacharis, frater? quis tibi bilem in naribus concivit? SOBIESL. Túne rogas? CRESPIMIR. Ariolari non didici. SOBIESL. Vidéſne, Piaſtum votis omnium Regno deſtinari? CRESPIMIR. Nempe hunc dicis, civem oppidanum, mulſi coctorem, qui exiguum agellum colit in hâc viciniâ? SOBIESL. Illum ipſum. LESC. Mi Sobiesläe, quid dedecoris conſeque-

ſequetur Polonia, Piaſto Principe? SOBIESL. Quid? hominem ex fece populi, ex tabernâ meritoriâ in ſolium collocari regium? túne id putas magnificè fieri? LESC. *Quod DEO viſum, & Patribus patriæ; illud cum majeſtate, fieri & magnificentiâ reputa*. SOBIESL. Iſta Tua Tuiq; Piaſti magnificentia exponet nos ludibrio omnium gentium. LESC. Redi, quæſo, in memoriam tecum: *omnes aliquando Reges fuiſſe ſervos; quemadmodum ſervi aliquando Reges*. SOBIESL. Non audio tuas argutias. *Philoſophorum decretis non gubernatur Reſpublica*. LESC. Cave eò progrediaris ferociæ.

Quid enim? plurimæ, eæque celeberrimæ nationes aliquando infimæ sortis hominem rerum summæ præfecerunt. SOB. Nugatorem agis. LESC. Nequaquam. CRESPIM. Mitiùs, mi frater: decet nos, Ephorum nostrum, cui, quod homines sumus, acceptum debemus, verborum honore prosequi. SOBIESL. Tu quoque philosophari incipis. LESC. Cogita mi Sobieslae; Darium, Cyri pharetrophorum exstitisse; cùm Rex Persarum fieret: Tullum Hostilium, ex pastore creatum Regem Romanum: Augusti Cæsaris proavus, restio fuit; avus argentarius: Maximinus Pupienus patrem habuit fabrum ferrarium: Imperator Galerius Maximinianus pastor

ſtor armentorum exſtitit: Bamba ab aratro in Regem Hiſpaniæ evectus fuit. SOBIESL. Tu vis Polonos item delirare, cùm gentes aliæ deſipiunt? LESC. Nolo: *ſed imitari alios, cùm recto pede præceſſerint*; id volo. CRESPIM. Mi frater: non aliena exempla longè arceſſere opus eſt: domeſtica habemus & propinqua. SOBIESL. Dic ſapientule. CRESPIMIR. Pauci ſupra octuaginta annos ſunt elapſi, cùm Præmislus, Princeps Poloniæ, mutatóque nomine, Leſcus primus ſalutaretur. SOBIESL. Quid inde? CRESPIM. Ille ex tabernâ prodiit: aurifaber fuit. LESC. Ei principatum virtus contulit; perinde ut huic Piaſto. *Virtute conſtat nobilitas; virtute Principatus*:

patus : *hac præditus maximè, præ ceteris coronâ dignus est maximè*: SOBIESL. Vos vobis habete coctorem vestrum & agricolam Regem : cum illo delitiemini; ego nec vestris, nec procerum sententijs meam aggrego. LESC. Ut ut reluctεris; *habendi sunt magistratus: quales à DEO conceduntur.* CRESPIM. Redeamus, Sobieslae, in comitium, & apud animos nostros reputemus:

"*fata volentes ducere, nolentes trahere.*

ACTUS

ACTUS IV.

SCENA I.

ZEMOVITUS, BARNIMUS, PRIBISLAUS, BOGDALUS.

BOna cum gratia consecutus sum à Patre; ut liceat mihi in agrum excurrere; non tam relaxandi animi gratiâ; quàm prospiciendi, ut operæ rusticæ probè succedant. Sed quos hîc conspicor? nimirum ex procerum hi sunt numero. Observabo, quò se vertant. BARNIM. Eamus ergo ad Piastum; ut Senatusconsultum ei exponamus, de sese in Principem electo. PRIBISL.

Quàm erit ei inſperatum hoc nuntium! BARN. Certè: varios ſentiet animi motus: cùm ſe illius gentis Principem fieri cernet, in quâ ei ſatis erat, inter minores deliteſcere. BOGDAL. Ego verò hanc dignitatem ei non inopinatò accidere autumo? ſi, quod audivi, aliquid ex vero trahit. BARNIM. Quid illud eſt? BOGDAL. Bonos genios, Deorum internuntios, ajunt dudum ei hunc Principatum prædixiſſe. PRIBISL. Qui frequens commercium cum DEO habet, more hujus Piaſti; ei ſe Deus magis magisq; patefacit. BARNIM. Accedamus ergo Piaſtum domi ſuæ: ne fruſtra protrahamus tempus: ſignificandum ei maturè: ut nobiſcum

ca

at in comitium, & Ducatus in-
signia capiat à Proceribus. ZE-
MOVIT. Quò tenditis, viri
Illustres? PRIBISL. Quid
tua refert? cur quæris? ZEMO-
VIT. Ut vobis prosim; si quà
opus. Dulce mihi est puero
& honorificum arbitror, natu
majoribus inservire. BOG-
DAL. Lepidum puerum! ex
cujus vultu præclara indoles e-
lucescit. BARNIM. Cujus
te filium profiteris? ZEMO-
VIT. Piasti, ajo. BARN.
Estne Pater intus? ZEMOVIT.
Est. BARNIM. Quid rerum
gerit? ZEMOVIT. Hydro-
mel in vasa vacua transfundit.
PRIBISL. Eho! an adhuc
scaturit mulsæ copia? ZEMO-
VIT. Quò plus hauritur: eò
plus mulsæ ebullit. PRIBISL.

Signum

Signum utique divinæ præſentiæ in hoc cive: habet divinitus aliquid ſupra communem hominum ſortem: ex quo factum, ut conſpirantibus votis ad principatum evocetur. BOGDAL. Etiam caro porcina adhuc ſuppetit? ZEMOVIT. Nihil deeſt; cùm plurima fruſta ſucciderís: recentia excreſcunt longè plura atque majora. PRIBISL. Duc nos intrò ad Patrem Tuum, mi fili. Quàm lætum mihi ſpectaculum, videre hunc puerum; & in ejus corpuſculo quaſi atque coxendice latére Principes, qui ex familiâ hâc prodeant, avitum Patriæ regnum longiſſimè gubernaturi!

SCENA II.

SEMOVITUS, CLOPAX, MENDICUS.

ILli intro abierunt. Ego, quod jussus eram, in agro conficiam. CLOP. Heus, fratercule, quo abis? SEMOVIT. In rem meam. CLOP. Placet mecum ludere? SEMOVIT. *Cui res seria incumbit; eum ludere non decet.* CLOP. Sat tempori negocium tuum conficies. SEMOVIT. *Parentum meorum imperia audio: non quadruplatorum;* qualem te esse judico. CLOP.

Pro-

protervè loqueris. SEMOVIT. Cura tibi alium, tui similem: ego *pravorum commercio nolim corrumpi virtutis sementem, quam in animo fecit parentum disciplina*. Abeo. CLOP. Hunc puerum non potui in nassam meam pertrahere. Sed eccum mendicum, qui mihi haud ita pridem furatus est amphoram, hydromelite plenam. Illi ego hostimentum concinnabo: videbitis, imò ridebitis: quàm egregiè istum furciferum sim excepturus! Ibo intrò, & adferam ollam, frigidâ plenam, quâ illum lepidè perfundam. MENDIC. Nunquam totâ vitâ lautiùs sum commessatus; quàm cùm pueris istis partim dormientibus, partim colluden-

tibus,

ibus, duas amphoras mulſæ & fiſcellam ſuillâ refertam, callido manuum artificio ſubduxi. *Nihil nocet, pueros iſtos aulicos, & qui magnatibus famulantur, interdum deludere: quoniam petulantes illi nequam, ludos ex aliis faciunt: homines verò mei ordinis, duriſſimè habere conſueverunt.* Sed quem huc adventantem, & vix non prorepentem video? Is quidem Clopax eſt: in verſutiæ ludo egregiè doctus. Salve, feſtiſſime Clopax. Cur ita ventrioſus? Danda opera, ut ex hâc venatione prædam capiam. CLOP. Fatiſco onere: nequeo diutius geſtare. MENDIC. Salve, mi Domine. CLOP. At tibi

tibi furiæ infernales eradicent oculos! MENDIC. Istud ne mihi impreceris. CLOP. Nam cur nuper amphoram furatus es meam, & mulsam. MENDIC. Factum nego. CLOP. Si negare sufficeret; nemo Tui similis suspenderetur. MENDIC. Per quidquid Sanctum est, Tibi dico: non feci. CLOP. Fecisti: sed erit aliud ulciscendi tempus. MENDIC. Quid ergo sub hoc onere gemis? quid geris? CLOP. Præ gaudio vix dicere possum. MENDIC. Dic amabo. CLOP. Potésne tacere? MENDIC. ut lapis. CLOP. Nolim lapidem: sed hominem, qui me juvet. MENDIC. Hominem vides. CLOP. Videor mihi videre; sed

d fidere ei non possum! MEN-
IC. Ut Pylades Orestæ. CLOP.
am nunc experiar, quâ sis fidei in-
egritate. Thesaurum gero.
MENDIC. Ubi? CLOP. Sub
âc tunicâ: in hâc olla. MEN-
IC. Unde nactus? CLOP.
ncantator quidam, arte magi-
â, quam necromantiam vo-
ant, & Mercurij virgulâ, ex
ellâ quadam hujus oppidi e-
uit. MENDIC. Hanc ergo
llam tu furto rapuisti, aufu-
isti? CLOP. Rem acu teti-
isti. Imò supersunt duæ aliæ
llæ, hac majores, auro puro puto
efertæ; quas facile abriperem:
i hanc tutò alicubi liceret de-
ponere. MENDIC. Quid du-
bitas? in sinum meum depo-
ne. CLOP. Etiámne illam
recepturus sum? MENDIC.
Quan-

Quando volueris. CLOP. Ipsos nummos in ſinum tuum effundam: numerum quippe teneo: nihil inde clepere poteris MENDIC. Ut lubet. CLOP Cape, & lava. MENDIC O factum impium! O me ſtultum qui fraudulentiſſimo puero credidi! Sed merito mih accidit. Ibo in caſam furnariam; ut ad ignem pannos meo exſiccem.

ACTUS IV.

SCENA III.

BARNIMUS, PRIBISLAUS, BOGDALUS, PIASTUS.

SEquere, mi Piaſte. PRIB. Nol diutiùs cogitare:

emper consilia saluberrima, *ue diutissimè agitantur.* BOGD. xplora motus, interioris animi ui; nónne sentis, divinitùs Te vel nvitum, ad Principatum trahi? PI- S T. Quid dicam, quid non di- am, nescio. BARN. Ita fieri solet: *ùm, præter mentem nostram, uid magni nobis accidit; obstu- pescimus.* PIAST. Si me re- spicio; minimè prompta est vo- luntas. PRIB. At *potior est vo- luntas Patrum Conscriptorum; quibus Te par est voluntatem Tuam subijcere.* PIAST. Pars est solatij; conscientiam me intus testem gerere: ab omni am- bitu, à prensatione, imo à cogitati- one Imperij longè me fuisse alie- nissimum. BOGD. *Non ambi- entes, non volentes, sed nolentes*

ad

ad Principatum etiam cogendi sunt bono Patriæ: cui plus, quàm nobis ipsis debemus. PIAST. Mihi verò palmaria hæc occurrit caussa; divina providentia & misericordia; quâ, unâ & unicâ fretus, vobiscum in comitium ibo. BARNIM. In promptu sunt insignia, quibus orneris.

ACTUS V.

SCENA I.

REPICHA, ZEMOVITUS.

MAritus meus à proceribus Regni accersitus est in curiam. Res fermè ridicula: inter tot Poloniæ Magnates non inveniri unum qui Reip, cum Imperio præsit! Eundum fuit in tugurium oppidanum: unde Princeps evocaretur quemadmodum olim in vicinâ Bohemia:

emia: cùm inter proceres non eſſet llus, regno aptus; Primislaus ru-icus, tum ſuper aratro prandens, n regiam Pragenſem à regina Li-uſſa accerſitus, diademate ornatus uit. Ego verò pervelim: integrum ſſe marito meo, repudiare dignita-em, quæ ipſi oblata fuit. *Quas* nim *delitias in principatu inve-iemus? Nulli non Principi, quod ãndo ſæpe accepi, gladius anceps ſuper capite, quaſi de ſeta equinâ ontinuò pendet; levi momento ruiturus.* ZEMOVIT. *Ita ſunt hodie miniſtri ac ſubditi: cùm paterfamilias præſens eſt, aut ejus aliquis inſpector vicarius; tùm demum laboribus utcunq; in-ſtant. Cum ipſi ſibi ſolis relinquun-tur, ſine arbitro; inter manus fri-gent operæ, ac paulatim langue-*

 ſcunt.

scunt. Id in agro paterno jam nunc experimento didici. REPICHA. Filium meum redeuntem rure conspicor. Magna vis ingenij in hoc puero luculentis signis sese effert. ZEM. *Rarum animal, fidus servus. Plurimi oculis tantùm, non conscientiæ serviunt.* REPICH. Si quid præsagiendum de hâc ætatulâ; erit is aliquando senectuti nostræ fulcrum; opinor etiam totius Patriæ. ZEM. Quem hîc loquentem audio? In propinquo est mater mea: hæc mihi salutanda. REPICH. Mi fili, ut procedunt operæ rusticæ? ZEM. Satis feliciter: nisi quòd operarij monitoribus egent, atque instigatoribus. REPICH. Humanum est vitium; *nemo propè mortalium in munere suo satis est sedulus: si licentiæ suæ libidiniq; permittatur.* ZEM.

Cred

Credo jam merendę inſtare horam, mater cariſſima. Quin imus intrò. REP. Patrem Tuum ex curiâ rediturum exſpecto. ZEM. Quid illi in curiâ eſt negotij? REP. Ajunt, eligendum eum Poloniæ Principem. ZEM. Siccine? REP. Atqui ipſum è comitio jam egreſſum video.

ACTUS V.

SCENA II.

PIASTUS, BARNIMUS, BOGDALUS, PRIBISLAUS, CRESPIMIRUS, ZEMOVITUS, REPICHA.

VOs domum redite, Amici, aut in ipſam curiam, ut fuerit collibitum. BARN. Noſtrum eſt, Te domum deducere. PIAST.

Minimè est necessum. BOGDA[ZEM.]
Principem sine comitatu incede-
re haud decet. PIAST. Animu[s]
mihi comes est, securus omnis peri-
culi. PRIB. Moris verò est, add[o]
ad Principis autoritatem perti-
net, asseclarum stipari satellitio.
PIAST. *Autoritatem ex cœl[o]*
trahimus; in terris eam sapienti[a]
fortitudoq́ conciliat. CRES[P.]
Sine nos uti ritibus patrijs. PIAST.
Quando ita lubet. ZEMOV.
Mater mea, gestio Patrem accede-
re. REPICH. per me lice[t.]
ZEMOV. Qualem ego te consp[i-]
cio, mi Pater? quantum es mutat[us]
ab illo, qui dudum eras! PIAST.
Habitu quidem, mi fili; non an[i-]
mo, qui in DEUM, in virtutem sem-
per erit idem: non alius ero in re-
gia, quam in casa mea: non alius i[n]
purpura, quàm vili illo pann[o.]

EM. Quales ſunt hi panni, qui-us amictus es? PIAST. Princi-is. ZEM. Itáne Principem ve-is facit? CRESP. Non, puer fe-iviſſime: veſtis nec virum, nec Principem facit: DEUS, virtus, & conſenſus populi Principem fa-it. Hoc parenti Tuo, publico o-nnium applauſu contigit. REP. lluſtres Viri: memini me audire lim; Antigonum, cùm anus quæ-iam laudibus immodicis veheret elicitatem Regum, oſtenſo diade-nate dixiſſe: ſi tu ſcires, mater, quot moleſtiarum eſſet hic pannus; vix humo eum tolleres. Credo idem à marito meo cariſſimo dici poſſe. PRIBISL. Noli angi, Princeps celſiſſima. REPICH. Ah mi Domine; ab his titulis abſtine, non adſuevi; non adſueſcam. BOGDAL. Tu conditionem vi-

 ri Tui

ri Tui, jure meritoqué sequeris
REPICH. *Ubi multum titu-*
lorum, ibi multum vanitatis.
BARNIM. *Puta apud eos*
ubi nudi sunt tituli, extra vir-
tutis regnum. PIAST.
Sine, mea uxor: *est communis*
pietatis, omnia nostra instituta
divinæ providentiæ submittere.
REPICH. Sic ergo DEUS opti
max. Te sospitet! Tibi spiritum
Principum, non languentem, se
vigentem, excitatumqué largiatur
ZEMOVIT. Ego verò longam
tibi precor vitam, honoratissime
Pater: ut fructum honoris Tui
atque dignitatis ego cum univers
Republ. decerpere, Tuisqué ve-
stigijs insistere, aliquando possim
PIAST. Et Tibi Repicha, & Ti-
bi Semovite, gratias pro votiv
vestrâ gratulatione habeo. Scin

erò, Semovite, quid Te velim. SEMOV. Quid? PIAST. Hunc vestitum meum, oppidanum dicam, an rusticanum, inprimis hæc sandalia ex robore suberino, inter res pretiosas, diligenter adservari cura. SEMOV. Faciam utique. Sed cui bono? PIAST. Ut posteri videant. SEMOV. Quid tum? PIAST. Ut superbire atque insolescere desinant, regnum adituri; si, hoc monumentum intuentes, recordentur; à patre, humilis sortis, imperium ad se transmissum esse. ZEMOVIT. Bene mones. PIAST. Adeste, proceres, quando vobis ita visum, præibo; de rebus meis intus disponam: ut hinc Crusviciâ aulam nostram transferamus Gnesnam: quæ Principum domicilium antiquitus fuit. Vobis, proceres, & universo populo,

jus dicam ex æquo; ſine cujuſquam odio aut invidiâ: nihil daturus gratiæ, nihil amori, nihil amicitiæ, nihil denique iræ, aut adfectui ulli. BARNIM. Ita fiat. BOGDAL. Fiat. PRIBISL. & CRESP. Fiat, fiat. PIAST. Eo.

ACTUS V.

SCENA III.

LESCUS, REPICHA, SEMOVITUS.

FAcere non potui, quin Tibi, marito Tuo, filioqué de tam inſigni felicitate gratuler. REPICH. Agnoſco adfectum Tuum, Leſce, Tibiqué gratias habeo pol maximas. SEMOVIT. Ego verò no-

minc

minores. REPICH. Commo-
dùm accidit, Te huc prodîsse?
LESC. Felicem me judicabo; si
vobis quidquam, aut salutare, aut
amabile præstare potero. RE-
PICH. Poteris utique. LESC.
Dic ergo. Totum me vobis man-
cipo. REP. Hunc filium meum
nôsti. LESC. Imò & novi, &
amo. REP. Etiam amas? LESC.
Quis puerum Principem oderit?
tali præsertim ingenio, quod nobis
& fausta omnia & summa pollice-
tur. REPICH. Quòniam polles
singulari dexteritate, informandi
Principum liberos: Hunc nobis
institutione Tuâ forma, finge,
expoli: ut si visum fuerit DEO,
dignus sit, qui Patri succedat.
Commune quippe bonum & præ-
sentis & futuri seculi, recta puero-
rum educatio. LESC. Principum
maxi-

*maximè; ex quo fonte haurit uni-
versa Respublica.* Itaque nihil
mihi gratius eo, quod offers. Vi-
deo, quale mihi lignum defera-
tur: qualem inde effecturus sim
Mercurium, spe certâ mihi præsu-
mo. SEMOVIT. Habebis me
sequacem; ut gypso, aut ceræ;
ita mihi facilè formam, quam vo-
les, imprimes. LESC. *Facile
est imperium in bonos.* REI.
De cæteris in hanc rem necessariis
conjux meus tecum differet; quem
te aditurire intelligo. LESC.
Ita est; & sunt, quæ ipsi nuntiem
de motibus ad Poloniæ fines;
quos ille moderatione suâ ac fe-
licitate facilè tranquillabit. REI-
PICH. Eamus itaque. ZEMO-
VIT. Spectatores: non est, quod
exspectetis, in proscenium reditu-
rur.

ım Piaſtum,Patrem meum. Dum
ıſe res ſuas intus agit: Vos,quod
eſtri erit muneris, ſinguli veſtro
loco facite: nobis verò, ſi
meremur, plauſum
date.

Thomas Felix Ecclesiast.
500.—

T I G